



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LIX. Argumentum. Ponuntur conditiones necessariæ in Censu vitalitio servandæ; ne sit Usurarius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

deLugo d. disput. 25. num. 133. & 134. Graffius part. 1. lib. 2. cap. 109. num. 20. & Sā Verb. Usura num. 9.

Nihilominus Doctores prædicti assignant tres modos justificandi, & licitum reddendi prædictum contractum.

Primus est, si tradenti pecuniam vendatur domus cum pacto illam quodcumque recuperandi, pravia restitutione ejusdem pecuniae. Sed in hoc casu requiritur: 1. Quod domus vendi possit, nam si esset Religiosorum, vel fidei commisso subjecta, non caderet in venditionem. 2. Ut verè vendatur, ita ut dominium transferatur in tradentem pecunias: & si periret incendio, vel ruina, ipsi tradenti pecunias pereat. 3. Ut servetur justitia pretii, tùm attentâ qualitate domus, tùm considerato pacto retrovenditionis; nam si sit in favorem solius vendentis, domus minùs valebit tertia vel quarta parte justî pretii; & si in favorem solius emptoris; domus plus valere debet, quàm aliquin valeret; quoniam venditor subit gravamen, quod est pretio æstimabile; ut latius demonstrat Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 14. Graffius dict. cap. 109. num. 21. brevius, & clarius P. Mastrius in Theol. Mor. d. disput. 5. num. 30. & Card. de Lugo d. disput. 25. num. 13.

Secundus modus est, si super dicta domo formetur census redimibilis, seu livellus francabilis, ut in hac nostra regione prædicatur; ad effectum, ut justo titulo dominus domus recipiat pecuniam cum onere solvendi censum, seu livellariam pensionem; vice cujus postea det domum in locationem prædicto domino domini directi, à quo recepit pecuniam. Sed in hoc quoque casu oportet, ut domus sit alienabilis, & contractus fiat inter personas, quæ possint eam alienare; & ulterius, quod justum sit pretium tam respectu census, seu livelli, quàm respectu affectus, seu locationis; aliàs usurarius præsumeretur contractus, & in fraudem usurarum factus ob pretii injustitiam, juxta supradictos text. in cap. Ad nostram 5. De Empt. & Vendit. & cap. Illos vos. 4. de Pignor. Cardinal. de Lugo d. disput. 25. num. 135. & nos trademus infra in casibus de Censu, & magis plenè in tractatu de Livello.

Tertius modus est, ut tradenti pecuniam detur domus *A godere*, donec eidem restituatur pecunia sub titulo lucris cessantis, qui modus magis placet Azor, ubi supra, Tamburin. in Decal. d. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 6. num. 17. ubi Bonacina, & Filliuc, Cardinal. de Lugo dict. disput. 25. num. 136. & Casalicch, in sua Tutâ conscientia lib. 2. cap. 17. num. 20.

Cæterum ubi adhiberetur iste titulus lucris cessantis, deberent concurrere omnes conditiones requisitæ, & notatæ supra in Decis. XXXII. num. 3. 4. & 5. & præcipuè, quod hæc pecunia esset destinata ad negotiandum; & fructus domus non excederent valorem lucris, quod realiter dominus pecuniam, negotiando, posset ex ea consequi. Hæc omnia scire, & advertere debet Confessarius, ut muneri suo satisfaciatur, responsurus Penitenti circa contractum *A godere*, de quo in proposito Casu.

D E C I S I O LIX.

A R G U M E N T U M.

Ponuntur conditiones necessariæ in Censu vitalicio servandæ; ne sit Usurarius.

S U M M A R I U M.

1. Censu vitalitio an constituere expediat?
2. Joannes Pico veneno interemptus ob censum vitalitium.
3. Auri aviditas causat delicta.
4. Censu vitalitii tribus conditionibus constituendi.
5. Fundus fructiferus an necessarius in censu vitalitio?
6. Bulla S. Pii V. de Censibus requirit fundum fructiferum.
7. Pretium justum quomodo judicandum in censu vitalitio?
8. Regula observanda pro pretio in vitalitii censibus.
9. Consuetudo Patria dat regulam justî pretii in Censu vitalitio.
10. Capitale censu vitalitii nunquam restituitur.

Claudius dat quingentos aureos Titio cum pacto, ut donec ipse Claudius vixeret, sibi annuatim solvat quinquaginta; & post mortem, capitalem summam Titius lucratur. Queritur, an licite conveniat?

Ad resolutionem hujus casus Clerus noster notavit; non esse laudandos, qui censu vitalitio sibi emunt; ex eis enim, avaritia impellente, votum captandæ mortis prodire facile solet in perniciem vitæ ejusdem censualistæ, ut de Joanne Pico viro eruditissimo, cui venenum propinavit ejus censuarius, ut citius magnam pecuniæ quantitatem ad censum, ejus vita durante, receptam lucraretur, narrat Surdus de aliment. tit. 9. quest. 11. in fin. & Leonardus de Usur. quest. 49. num. 37. ubi refert Polydorum à Priamo patre ad Polymnestorem Thraciæ Regem cum magno auri pondere missum, ut eum educaret, & tueretur, Troja collapsa, à Rege Thracio obtruncatum fuisse, ut auro potiretur, undè exclamavit Virgilius Æneid. lib. 3.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Nihilominus ab audentibus Vitalitio census sibi constituere tres conditiones esse servandas, ut licite contrahant, Studiosi nostri scripserunt. Videlicet.

Primò: Ut Censum super certa re fructifera imponant.

Secundò: Ut justum sit pretium.

Tertiò: Ut non repetatur amplius à Censuario.

Prima conditio est, ut constituatur censu Vitalitio super certa re fructifera; quamvis enim non desint Doctores, qui contrarium scripserunt, quos refert Salas de Censib. dub. 5. num. 1. Gratian. discept. forens. cap. 756. num. 1. & Leonard. de Usur. d. quest. 49. num. 20. ea ratione; quia sufficit, æquale esse periculum lucris, & damni inter emptorem, & venditorem census, prout extare clarum est in hoc contractu census vitalitii, qui speciem alex continet, & pendet ab incerto brevioris, vel longioris vitæ: nihilominus vera, & amplectenda est sententia eorum, qui docent, necessarium esse, ut census iste fundetur in re fructifera. Molina de Justit. & Jur. disput. 288. num. 5. & disput. 889. num. 3. Rebell.

Rebell. lib. 10. *quæst.* 4. num. 2. & 3. Filliuc. *tract.* 35. part. 2. cap. 2. num. 284. & 285. Scaccia de *Commerc.* §. 1. *quæst.* 1. num. 202. & ibi Medina tom. 2. tit. de Rebus *Usur.* *acquisit.* *quæst.* 14. *vers.* Itaque non. Cencius de *Censib.* part. 3. cap. 1. *quæst.* 1. art. 1. num. 25. qui omnes testantur, esse de forma substantiali cujuscunque census, ut imponatur super re frugifera; quod scribit etiam Martha *conf.* 68. num. 8. 9. & 15. & Leotardus de *Usuris* d. *quæst.* 49. num. 28. attenta præcipue
6 Constitutione S. Pii V. Incipien. Cum onus Apostolica servitutis, quam integram transcribit Nicolius in *Lucubrat. Civil.* lib. 3. tit. 24. pag. 296. Et Cencius in princip. sui operis; Et cujus primum requisitum ponitur in illis verbis, nimirum; Hac igitur nostra Constitutione statuimus, Censum, seu annuum redditum creari, constituere nullo modo posse, nisi in re immobili, aut qua pro immobili habeatur, de sui natura fructifera; & qua nominatim certis finibus designata sit: quorum verborum Nullo modo &c. tanta est vis, & potestas, ut omnem potentiam aliter contrahendi excludant. l. ult. C. de *Test. milit.* Menoch. *conf.* 383. num. 14. & inducant formam ex necessitate servandam, ut considerat Leotard. *dict.* num. 28. adeo ut fundo ipso pereunte, desinat etiam & extinguatur census vitalitiis. Cencius *dict.* part. 3. cap. 1. *quæst.* 1. art. 1. num. 26. quamvis contrarium doceat Scaccia de *Commerc.* *dict.* §. 1. *quæst.* 1. num. 178. Sed quicquid sit de hac opinione, quando fundus frugifer periret, tanquam de casu raro, (nisi esset domus subiecta incendio, vel molendinum obnoxium submersioni,) hæc conditio imponendi censum super re certa, & fructifera non debet videri gravis censitori, sed utilis; siquidem ubi constitueret sibi censum vitalitium super sola industria, seu personæ censuarii, eo per mortem (qua nihil frequentius) sublato, amisisset pretium, & pecuniam suam, vel saltem difficile foret, eam recuperare ex generali hypotheca bonorum, cum ut plurimum homines decedant ære alieno supra vires gravati, & hi potissimum, quos non piget pecunias ad censum, & ad livellum accipere, ut quotidie experimur.

7 Secunda conditio, ut census vitalitii sit licitus, est pretii iustitia. Porro ad indicandum istud pretium census vitalitii varix sunt Doctorum sententiæ, quas referunt Covaruvias *Variar. resol.* lib. 3. cap. 9. num. 7. & Joannes Bapt. Lupus de *Usuris* *Comment.* 2. §. 1. num. 82. Nam iustum pretium esse unum pro sex, id est ducatos decem, & septem pro centenariis scripsit Oldrad. *conf.* 207. At decem, seu undecim pro centenariis concessit Bald. *conf.* 292. Quia ex facto lib. 5. Duodecim cum dimidio pro singulis centum approbavit Romanus *conf.* 302. Sed decem tantummodò singulis centenariis permisit Cumanus *conf.* 181. Verum antiquorum opinionibus de hac re omissis, moderni adstruunt, computum faciendum esse annorum, quos morali suppositione censuarius vivere potest; deinde sumendam esse dimidiam partem annorum, qui intercedunt à die emptionis census usque ad annum reputatum ultimum vitæ; & in tanta summa taxandas esse pensiones census; quæ in ea medietate annorum adæquare possunt summam totius pretii, seu totius capitalis. V. g. si emptor sit sexagenarius, & speretur posse pervenire ad annum ætatis octogesium, si vult dare centum ducatos pro cen-

su vitalitio, poterit exigere decem ducatos annuos, sua vita durante, quia cursus decem annorum adæquat pensiones cum capitali, ut tradunt Molin. *dict.* *disput.* 388. num. 6. & Cardin. de Lugo *disput.* 27. num. 38. qui num. 39. subdit, hanc esse regulam fallacem, & in ea non subsistendum; cum neque moralis, neque certa appellari possit; attentis vitæ humanæ periculis, & frequentia mortis in ætate juvenili potius, quam in senili, testaturque idem Cardinalis de Lugo ex coætaneis ejus, quos condiscipulos habuit, dum juvenis esset viginti annorum, multò plures ante quinquagesimum annum mortuos, quam post illum viderit superstitēs; quod & ego affirmare possum de propria scientia, circa coætaneos, ac condiscipulos meos. Igitur trutina iusti pretii census vitalitii esse debet vel patriæ consuetudo, vel arbitrium boni viri, 9 circumspexit ætate, sanitate, robore, aliisve qualitatibus censuarius, ut tradit Joan. de Anan. in cap. In civitate 6. num. 21. de *Usur.* Scaccia *dict.* §. 1. *quæst.* 1. num. 298. & Leotardus d. *quæst.* 49. num. 6. ubi plurimos cumulat.

Tertia conditio est, ut pretium, quod censuaria in emptione census exbursat, ita fiat censuarii accipientis, ut nunquam ab eo invito repeti possit. Nam si capitale, seu pretium prædictum aliquando esset restituendum, non census licitus, sed mutuum cum usura contractum esse diceretur. l. 2. in princip. ff. si cert. per. Felician. de *Censib.* lib. 1. cap. 7. num. 19. Roderic. de annuis redditib. lib. 1. *quæst.* 5. num. 5. ubi refert, Senatium judicasse usurarium quendam censum vitalitium, in quo actum erat, ut fors emptoris salva esset. Cencius de *Censibus* *dict.* part. 1. cap. 1. *quæst.* 4. art. 3. num. 26. & Rota post illum tract. *decis.* 9. num. 12. & num. 15. Molina *dict.* *disput.* 388. num. 6. Jo. Bapt. Lupus d. *Com.* 2. §. 2. num. 65. Covaruv. *Var. resol.* *dict.* lib. 3. cap. 7. num. 3. *vers.* Item & hæc, præter alios, quos congerit, & sequitur Leotardus. d. *quæst.* 49. num. 7.

His igitur tribus conditionibus perpensis, cognoscere poterit Claudius, an licite conveniat cum Titio, tradendo eidem quingentos aureos, cum pacto, ut donec ipse Claudius vixerit, sibi annuatim solvat quinquaginta, & post mortem capitalem summam lucretur; siquidem si assignatus fuerit fundus frugifer, & talis sit ætas Claudii, ut arbitrio boni viri possit exigere decem pro centum, & nunquam fiat repetitio summæ quingentorum aureorum, bene, & licite sibi vitalitium censum constituisse dicitur.

DECISIO LX.

ARGUMENTUM.

Pro festorum dierum sanctificatione tria bonorum operum genera esse facienda, & alia tria esse fugienda docet præfens Decisio. Exemplum punitionis Divinæ contra profanatores festorum dierum,

SUMMARIUM.

1. Festis diebus tria genera bonorum operum faciendorum.
2. Opera tria evitanda iisdem diebus festis.
3. Diaboli præcipuus conatus ne sanctificentur dies festi.

4. Festi